

**1992-02-17 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Christifideles Mexicanii’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

***CHRISTIFIDELES MEXICANI***

IMAGO BEATAE MARIAE VIRGINIS TITULO «NUESTRA SEÑORA DEL CARMEN»  
INVOCATAE, QUAE PIE SERVATUR IN SANCTUARIO EIDEM DICATO  
IN MEXIACANA URBE «CATEMACO», PRETIOSO DIADEMATE REDIMIRI SINITUR  
«NOMINE ET AUCTORITATE SUMMI PONTIFICIS»

Ad perpetuam rei memoriam. – Christifideles Mexicanii dioecesis Sancti Andreae de Tuxtla finitimarumque Ecclesiarum singulari pietate colunt decoram imaginem Beatae Mariae Virginis titulo «Nuestra Señora del Carmen» invocatae, quae pie servatur in Sanctuario eidem dicato in urbe «Catemaco» ad quod idem frequentes accedunt a tam benigna Matre, quam Magistrum ac Reginam quoque suae habent vitae, supernum auxilium petituri. Quare, cum Venerabilis Frater Villelmus Ranzhauer González, Episcopus Sancti Andreae de Tuxtla, litteris die XXII mensis Novemboris superioris anni datis, etiam cleri populi sui nomine petiverit ut imagines, quam diximus, Nostro nomine et auctoritate diaademate posset redimire, Nos, paternae dilectionis documentum tam dilectis Mexicanis filiis cupientes praebere, eius Pastoris precibus libentes obsecundandum esse putamus. De sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus Apostolica Nostra potestate usi petenti Praesuli partes committimus ut imagini Beatae Mariae Virginis titulo «Nuestra Señora del Carmen» invocatae et in Sanctuario Mexicanae urbis «Catemaco» pie custoditae Nostro nomine et auctoritate pretiosam imponat coronam, iuxta probatum liturgicum ritum. Minime vero dubitamus quin concessus honor in religionis bonum populi spirituale in profectum cedat pariterque fore confidimus ut ii omnes, qui eandem venerantur imagines, ad calendam Dei Genetricem magis magisque incitentur. Denique volumus ut hae Litterae accurate serventur omnesque suos effectus legitime consequantur, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVII mensis Februarii, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri quarto decimo.*

ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status*